



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 2. Fides & miraculosus baptismus, à Petro Apostolo, custodibus, in
carcere, ministrantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

domo exiisset. Sed tamen Saulus, quando in mala via iter faciebat; Aethiops, cum Deum quæsiuit, conuersus est. Vnde admiranda Dei iudicia se se aperiunt, qui & sequentibus, & persequentibus venit obuius ad auxiliandum.

§. II.

Fides & miraculosus baptismus, à Petro Apostolo custodibus, in carcere, ministrantur.

Baron. 1.
2. An. 68.
& Thom.
Boz. lib.
1. de sig.
Eccl. c. 16.

Id autem, quod Eunucho baptizato, Pauloque conuerso euenit, in omnibus Sacramentis contigisse, potest ostendi. Nam in primis de aqua etiam diuinitus ad baptismum oblata, illud refert Baronius. Cùm An. Christi sexagesimo octauo S. Petrus Apostolus in carcerem Mamertinum missus à Processo & Martiniano militibus asseruaretur, ipsos suos hos custodes ad Christi fidem adduxit. Iam crediderant; sed defuit aqua baptismi necessaria. Non defuit ergo Deus. Extemplo, quasi saxo vena esset secta, ita, in vicem sanguinis, fons erupit: qua aqua Processum & Martinianum tinxit Petrus. Nemo loco diffidat, qui Deo fidit. Nusquam & nunquam illi deest, quod prodest: quosq; mortalium iudicia sæpe abiectissimos ne pistrino qui-

quidem dignos censent, eos diuinus oculus ex persecutoribus Apostolos, ex lictoribus martyres, denique ex nigris candidos facit atque cæli candidatos.

§. III.

Misericordie opere baptismus à peccatrice impetratus.

Stupendum eiusmodi Dei iudicium fit manifestum etiam ex alia, commemoratione digna, historia, quam, sub Paulo Episcopo Alexandrino, circa annum Domini quingentesimum trigesimum septimū contigisse, in Prato spirituali, his verbis legimus. *Narravit nobis (inquit Ioannes Mofcus cognomento Euiratus) Abbas Theonas Theodorus, quòd Alexandria, sub Paulo Patriarcha, puella quedam relicta fuerat pupilla, à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc sine baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium, quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quendam parantem sibi laqueum, ut se profocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis, homo? Dixit autem ei: Dimitte me, mulier, quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait illi: dic mihi causam, & fortassis iuuare te potero. Dixit illi: Graui ere alieno premor, & valde*

Prato
spirit. c.
107.